

www.e-rara.ch

Biblia Veteris ac Novi Testamenti

Pagnini, Sante

Basileae, 1564

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1502>

Summa totius sacrae scripturae, librorum videlicet Veteris & Novi Testamenti

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

S V M M A T O T I V S S A C R A E S C R I

pturae, librorum videlicet veteris & noui Testamenti.

Esa. 45. c. 14
 Genes. 21. d. 33
 Daniel. 7. c. 9
 Genes. 1. a. 2
 Esa. 45. c. 18
 Exod. 9. f. 27
 Psal. 10. b. 7
 Esa. 45. d. 21
 Exod. 22. d. 27
 1 Cor. 12. a. 6
 Rom. 9. d. 20
 Esa. 45. b. 9
 Jerem. 18. a. 6
 Genes. 1. d. 27
 Sap. 2. d. 24
 Rom. 5. c. 14
 & d. 18.
 Ephes. 2. a. 3
 Genes. 3. b. 15
 Genes. 12. a. 3
 Genes. 26. a. 4
 Genes. 28. c. 14
 Hebr. 2. d. 14
 2 Sam. 7. c. 12
 Psal. 132. c. 11
 Exod. 20. a. 1
 Rom. 3. c. 20
 Galat. 3. c. 19
 Heb. 7. c. 18
 & 10. a. 1
 Ioan. 1. d. 29
 Rom. 9. b. 5
 Luc. 1. c. 31
 Galat. 4. a. 5
 Ephes. 1. b. 10
 Rom. 5. b. 8
 Ephes. 2. b. 9
 Tit. 3. b. 5
 Rom. 15. b. 8
 Ephes. 2. b. 7
 Tit. 3. b. 5
 Iesa. 53. b. 7
 Ioan. 1. d. 29
 Ephes. 5. a. 2
 Heb. 9. g. 26
 Act. 3. c. 19
 Ephes. 2. c. 14. 15
 Apoc. 1. b. 5
 Heb. 2. d. 14
 Galat. 4. b. 5
 Ephes. 1. a. 5
 Rom. 8. c. 17
 Ephes. 3. a. 5
 Rom. 8. c. 15
 Galat. 4. a. 6
 Ephes. 1. c. 1
 Galat. 5. d. 23
 Ephes. 1. c. 13. &
 4. g. 30
 1 Cor. 12. a. 3
 Rom. 8. c. 16
 Rom. 5. a. 5
 1 Cor. 13. b. 4
 Ephes. 1. c. 14

DO C E N T Nos libri ueteris Testamenti, Deum illum quē colue-
 runt Noe, Abrahā, Isaac, Iacob, Dauid, & ceteri Patres, solum uerum
 esse Deum, eumq; omnipotentem & æternū: qui propter bonitatem
 suam Verbo suo cœlum & terram, & quæ in eis sunt, creauit: à quo
 omnia procedunt, sine quo nihil quicquā est: iustum & misericordem: quicq; om-
 nia operetur in omnibus secūdam uoluntatem suam: cui non liceat dicere qua-
 re sic uel sic faciat.

Deus.

A D H A E C, Ipsum hunc Deū omnipotentem creasse post cætera omnia
 Adam primum hominem ad imaginem & similitudinem suam spiritualem, do-
 minumq; eum constituisse omnium creatorum in terra. Qui quidem Adam, in-
 uidia & fraude diaboli, Creatoris sui præcepto non obediens, suo peccato, pec-
 catum in hunc mundum inuexit tale, tātūmq; , ut nos secundum carnem ab ipso
 progeneri, natura filij iræ simus, & ob id morti, damnationi, iugo & tyrannidi
 diaboli obnoxij reddamur.

Creatio ho-
 minis.

Peccatum.

P O R R O Autem promissum fuisse à Deo patre semen illud benedictum
I E S V M C H R I S T V M, Filium suum Saluatorem nostrum ipsi Adæ, Abrahæ,
 Isaac, Iacob, Dauidi, & reliquis Patribus, qui à peccatis & tyrānide diaboli libe-
 raret eos, qui uiua fide & operante huic promissioni crederent, ipsiq; **I E S V**
C H R I S T O fiderent, liberationem hanc ab ipso & per ipsum sperantes.

Promissus
 Christus.

I N T E R E A autem dum à Patribus Israelitis expectabatur promissa sa-
 lus & liberatio, quòd ea est hominum natura tam superba atque adeò corrupta,
 ut non libenter ipsi uelint se agnoscere peccatores, quibus promisso Salutari
 sit opus: Legem scriptam in tabulis lapideis, datam fuisse à Deo per Mosen, ut
 per eam agnito peccato, & cordis humani malitia, ardentius sitirent homines
C H R I S T I aduentum, qui ipsos à peccatis redimeret ac liberaret: quod neque
 Lex, neque sacrificia & hostiæ Legis præstabant. erant enim umbræ & figuræ
 ueræ oblationis corporis **C H R I S T I**, qua peccata omnia obliteranda erant
 & abolenda

Lex, siue de-
 calogus.

N O V I Autem Testamenti libris docemur, **C H R I S T V M** illū promissum
 (qui est super omnia Deus benedictus in secula) & in libris ueteris Testamenti
 adumbratū sacrificijs ac figuratū, missum tandem à Patre fuisse eo tēpore quod
 apud se constituerat ipse Pater: eo inquam tempore quo abundabat in mundo
 omnis iniquitas. Missum autē & incarnatū ipsum Saluatorem **I E S V M** mortem
 passum esse, & à mortuis resurrexisse: non ex bonis cuiusquam operibus (nam
 omnes erant peccatores) sed ut Deus & Pater noster uerax, abundantes gratiæ
 suæ diuitias quas promiserat, exhiberet, & secundum misericordiam suam sal-
 uos nos faceret. In nouo igitur Testamēto planissimè ostenditur, quòd **I E S V S**
C H R I S T V S uerus agnus & uera mūdi hostia, hominum peccata delens uenit
 in mundum ut nobis pacem & gratiam cum Patre conciliaret, lauādo nos à pec-
 catis nostris in sanguine suo: & liberaret à seruitute diaboli, (cui peccando serui-
 bamus) in filiosq; Dei adoptaremur per ipsum, cohæredesq; eius efficeremur
 regni præclarissimi & æterni.

Christus
 Deus Salua-
 tor uenit.

Agnus.
 Hostia.
 Pax.
 Adoptio.

V T Autem singulare hoc & maximū Dei beneficiū erga nos agnoscamus,
 dat nobis Deus Spiritū suum sanctū, cuius fructus & effectus est Fides in Deum
 & **C H R I S T V M** eius, nā sine Spiritu sancto quo instruimur & signamur, neq;
 credere possumus Deū Patrem misisse **M E S S I A M**, neq; **I E S V M** esse **C H R I**
S T V M. nullus enim (inquit Paulus) dicere potest, Dominus **I E S V S**, nisi in
 Spiritu sancto. Idem Spiritus testatur spiritui nostro quòd sumus filij Dei, &
 diffun-

Spiritus san-
 ctus.
 Fides.

Charitas. diffundit in uiscera nostra eam Charitatē quam describit Paulus Corinthijs. Pre-
 Spes. terea Spem, quæ est certa uitæ æternæ expectatio, cuius idem ipse arrhabo est &
 pignus, nobis impertitur, & alia spiritualia dona, de quibus Paulus ad Galatas. Galat. 5. d. 22
 Nequaquam igitur est negligendus, aut paruifaciendus fidei fructus: per hanc
 enim in CHRISTVM fiduciam & fidem, quæ per charitatem operatur, &
 Iustificatio & sanctifica- Galat. 5. a. 6
 tio. mur: id est, Deus & Pater Domini nostri IESV CHRISTI (qui & Pater no-
 ster effectus est per ipsum fratrem nostrum) nos pro iustis & sanctis habet, sua
 gratia, ac merito Filij sui IESV CHRISTI, non imputans nobis ad gehen-
 nam delicta nostra. Ephes. 5. a. 2
 Hebr. 13. d. 21
 Rom. 3. d. 30. &
 4. a. 2
 Galat. 2. c. 16
 Matth. 5. g. 48.
 & 23. a. 8
 Hebr. 2. c. 12
 2 Corin. 5. d. 19
 Tit. 2. c. 12. d.
 13. 14
 Luc. 1. g. 74

Bona opera. Venit deniq; CHRISTVS ipse in mundū ut nos per ipsum sanctificati & pu-
 rificati à peccatis, uoluntatem eius operibus bonis sectantes, quæ carnis sunt ab-
 negemus, ac liberè seruiamus ei in iustitia & sanctitate omnib. diebus nostris: &
 ut per bona opera (quæ præparauit Deus ut ambularem in illis) nos ostenda-
 mus ad hanc gratiā & fidei donū uocatos: quæ quidē bona opera qui non habet,
 testatur se fidem in CHRISTVM non habere qualem ille in nobis requirit. Ephes. 2. b. 10
 2 Pet. 1. b. 10

Christus Ma- Ad eum oportet nos accedere, & alacri animo ipsum sequi, ut nos doceat: est
 gister, enim Magister noster, mitis & humilis corde. Exemplar nostrū, à quo discere
 Pontifex, oportet normam rectè uiuendi. Noster præterea Episcopus & summus Ponti-
 Mediator, fex, qui suum ipse sanguinē pro nobis obtulit, unus Mediator Dei & hominum:
 Aduocatus. qui nūc ad dexteram Dei Patris sedet, nobis Aduocatus factus, orans interpel-
 lansq; pro nobis: qui proculdubio impetrabit quod uel ab ipso, uel ipsius no-
 mine à Patre petierimus: si modò petentes ita illum facturum esse crediderimus.
 sic enim promisit. Ne igitur dubitemus, si quando peccauerimus, cum pœniten-
 tia (ad quam nos initio statim suæ prædicationis inuitat & incitat) atque fidu-
 cia accedere ad thronum gratiæ eius: credentes quòd misericordiam consequu-
 turi sumus. nam ideo uenit in mundum ut peccatores sua gratia saluos faceret. Iohan. 14. b. 13.
 & 16. c. 23
 Marc. 11. c. 24
 Matth. 4. c. 17
 Hebr. 4. d. 16

Iudicium. Hic nimirum est CHRISTVS IESVS, qui in constituto à Patre temporis
 articulo ueniet, ac sedebit in maiestate magna, omnes iudicaturus, & redditurus
 unicuiq; propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. dicturusq; est il-
 lis qui à dextris erunt, qui in hoc mundo futura bona (uitam uidelicet æternam)
 expectauerint, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum uobis regnum à
 Vita æterna. cōstitutione mundi. Illis autem qui à sinistris, Discedite à me maledicti in ignem
 æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Tunc uerò finis erit quū Chri-
 Ignis æter- stus hostibus omnibus planè deuictis, regnum Deo & Patri tradiderit. 1 Cor. 15. e. 24
 nus.

HAE C Ut cognoscamus, bonitate Dei per Spiritum eius sanctum tradita
 sunt nobis sacra Biblia: & eius doctrinæ quæ in ipsis habetur, prædicatione, ac Sa-
 cramenta quibus ob signatur nobis huius doctrinæ ueritas: ut cognoscamus in-
 quam, & credamus unum solum esse Deum uerum, & quem, ut promiserat, mi-
 sit IESVM CHRISTVM: utq; credentes, uitam habeamus in nomine eius. 2 Pet. 1. d. 19
 Iohan. 17. a. 3
 Iohan. 20. d. 31

Præter hoc fundamentum nemo aliud potest in Ecclesia CHRISTI pone-
 re, quo quidem firma stabilisq; consistit. Opratq; Paulus cum anathema esse
 qui aliam fidem & salutem annuntiauerit, quàm per IESVM CHRISTVM, e-
 tiam si fuerit Angelus de cœlo. Galat. 1. b. 8

Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: cui cum Patre & Spiritu
 sancto honor & gloria in secula seculorum, Amen. Rom. 11. d. 26